

2

ANTONII MASSAE

GALLESII.

DE TRANSFUGIS.



ROMAE APVD VALERIVM DORICVM.

M. D. LVI.

ANTONII MASSAE

GALLIÆ

DE FRANCIS.



ROMÆ VIND. VALERII TORICANI

M. D. L. V.

RERVM CAPITA.

- 1 Transfugarum, fugitiuorum, & huius generis uerborum explanatio.
- 2 Transfugarum definitio:
- 3 Genera transfugarum ex causis sumpta, propter quas ad fugiendum mouentur.
- 4 Quibus rationibus cauere possimus, ne nostri omnino, aut quàm paucissimi ad hostes transeant: aut saltem ne transeuntes nobis noceant, sed potius ab hostibus ipsis male habeantur.
- 5 Cautiones, quibus uti possimus, ne stipendij, comemeatuū, aquæ, pabulorum ue inopia milites fugiant.
- 6 An & quando expediat suspicionem fugæ, uel proditionis aliquorum nobilium dissimulare, uel eos illico punire.
- 7 Quibus commentis ad fugiendum ex hostibus ad nos allicere quamplurimos possimus.
- 8 Non inhonestum, nec inutile esse recipere hostium transfugas.
- 9 Quibus rationibus cauere possimus, ne à falsis transfugis decipiamur.
- 10 Capi interdum utilitatem ex subornatis per nos ipsos transfugis, quasi ab hostibus ueniant.

A ij

- A T T U S V M C A P I T U M
- 11 Qui ex nostris transfugere, si sponte redeant: an
et quo sint pacto recipiendi.
 - 12 Veri transfugæ, qui nobis fidem seruauerint, quo
sint pacto tractandi.
 - 13 Falsi item transfugæ comprehensi, quo pacto sint
puniendi.
 - 14 Ex nostris qui transfugerint, si inuiti in nostram
redeant potestatem, quo sint pacto puniendi.
 - 15 Quanti facerent Romani, ne unquam transfugæ
impuniti remanerent.

EX LIBRIS CIVILIVM

OBSERVATIONVM

ANTONII MASSAE

GALLESII.

Cap. De Transfugis.



VPRA QUIDEM, CVM DE proditoribus ageremus ; unum quoddam genus proditorum Transfugas esse diximus , ubi illud quoq; docuimus , quam utile sit haec nouisse , cum in omni-

bus ferè bellicis rebus magnum ad res magnas gerendas momentum afferre soleant & transfugæ , &

cæteri proditores . Nunc uero sciendum est alia ratione transfugas genus quoddam esse fugitiuorum , cuius uocabuli significatio latius patet ; siquidem omnes qui à suis fugiunt , dici merito possunt fugitiui . Transfugæ uero propriè non sunt , nisi qui eo consilio fugiunt , ut ad hostes se conferant , quibuscum remaneant ; uel etiam qui ab hostibus capti , cum potuerint , non redierunt ; nam & ij cum hostibus agentes pro transfugis habentur . Sed qui eo duntaxat proficiuntur animo , ut suorum consilia hostibus enuntient , & reuertantur ; (quanquam à Latinis interdum perfugarum , transfu-

L. Non omnes . ff. de re milit.

garum uel nominibus appellantur, à nobis inter proditores sunt connumerati. De quibus, ubi locum de indicijs attigimus, obseruata quaedam explicauimus. Multis uero fugientibus nihil aliud propositum est, nisi ut à suis fugiant: itaq; si ij ad hostes perueniant, casu id magis, quam consilio contingit: eiusmodi autem sunt serui, qui à Romanis proprie dicti sunt fugitiui: item qui ob delicta uel damnati sunt, uel se damnatum iri formidant; item obruti ære alieno, & similes, quos auctores Latini profuges dixere, quibus præcipua cura est seruitutem, carcerem, uincula, pœnas euitare; non etiam ut fugientes certum aliquem locum cogitent. Sunt item ex militibus emanfores, & desertores, de quibus, quoniam à transfugis longe differunt, infra loco suo dicemus. Perfugarum autem, & transfugarum uocabula nullo discrimine latinis usurpata esse animaduerti. Dicere igitur, nisi fallor, poterimus, transfugas, & perfugas esse, qui eo consilio se ad hostes contulerunt, ut ijs operam dantes suorum hostes efficiantur. Eorum autem genera tot uidentur esse, quot sunt causæ, propter quas ad fugiendum inducuntur: Quidam enim nulla alia ratione, quam liberalioris militiæ, aut alius lucri spe proposita, seu formidine mali euentus belli sese dant in fugam: eius generis homines leuitas ingeniorum in omnibus bellis exhibet. Quamquam eò pauciores transfugere solent, quò magis alieni sunt, quippe apud quos minor sit commercio

locus, nec certa ratio, spes uel lucri faciendi. Atque ideo plures bellis ciuilibus transfugere semper est comperitum. Alij sunt, qui ob stipendia non persoluta, seu quod se contemni uideant, seu quod sibi à suis metuant, aut ob iram aliquam fugiunt. Præter has, quæ alia transfugiendi causa possit esse, non uideo. Hæc ad transfugarum cognitionem hætenus dicta sint. Reliquum est, ut quæ in uitæ ciuilibus usum de ijs obseruauimus, quàm fieri poterit breuissime explicemus.

- 4 Primum autem uidetur esse considerandum, si qua ratione cauere possimus, ne nostri omnino, aut quàm paucissimi ad hostes transeant: est enim ea magni Ducis laus, quæ Cyro minori à Xenophonte tribuitur; quod, cum de Regno cum fratre armis contenderet, à Cyro quidem ad Regem nemo transfugisse diceretur; à Rege uero ad Cyrum multæ myriades. Magnum regiæ illius uirtutis indicium, quod ei non inuiti parebant, & duris in rebus ultrò permanebant. Eadem penè fortuna C. Iulio Cæsari contigit, à quo nemo aut miles, aut eques ad Pompeium transfugerat ante eum diem, quo apud Dyrrachium Roscellus, & AEGus fratres allobroges transfugerunt; cum penè quotidie à Pompeio ad Cæsarem perfugerent. Ex his itaque prima uidetur cautio esse, ut Ducis auctoritas apud exercitum uirtute parta milites sibi amoris, et obseruantia uinculo iungat. Cæterum ij, quos aliqua spe ductos, aut formidine euentus belli

In æcon. cap.
vij. & de Cy
ri exped. li. 10

Cæs. de bell.
ciu. lib. ij.

transfugere diximus, ut cunq; ex obsessis Ciuitatibus, op-
pidis ue munitis ne exeant, cõerceri possunt: certè si ca-
stra fuerint in aperto posita, puto non posse, ne aufu-
giant, omnino contineri, tales enim hominum feces uel
fortunam plerunq; sequentes, uel propria impulsu stul-
titiã eò conuolare student, ubi fortunam magis pollere,
seq; maiori cum lucro, & minori periculo fore speraue-
runt.

Cæs. de bell.
ciu. lib. ij.

Quoniam igitur constat inter omnes felicitatem
quidem rerum gestarum exercitus benevolentiam Impe-
ratoribus, res uero aduersas odium, atq; contemptum con-
ciliare; nec habere fortunam prosperam, esse in nostra
potestate, proxima cautio erit, si uti corporis uulnera,
ita exercitus incommoda tegi possint: Deinde ut afflictis
quandoq; rebus nostris ab hostium castris quàm longissi-
me recedentes opportunis locis excubias aduersus trans-
fugas disponamus. Quemadmodum contra rebus nos-
tris secundis utile est castra, hostium castris quàm pro-
xime possimus opponere: Id quod cum antea sæpe, tum
uero maxime legitur fecisse C. Iulius Cæsar, cum apud

Cæs. de bell.
ciu. lib. v.

Vzitam Africæ oppidum castra sua Scipionis castris
contulit, quo facilius colloquia fieri possent, & si qui
perfugere uellent, id facile, ac sine periculo fieret. Sic
exercitus, qui sub L. Scipione consule contra L. Syllam
ductus erat, cum clanculum ad Syllam transire pactus
esset, si ille propius accessisset, eo appropinquante, om-
nes ad illum transiere.

Appian. bell.
ciu. lib. i.

Illud

Illud etiam in rem fuerit, interdum bonam aliquam spem sim-
 mulare, ut hac ratione titubantium animi aliquantulum
 confirmetur. Sed multorum simul animis deprauatis,
 utile fuerit quamprimum, si fieri possit, illis & abeundi
 offerre occasionem, & nocendi simul eripere potesta-
 tem. Quod fecisse legitur Diodorus, qui cum præsidio *Fronti. lib.*
 Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum ad sus- *ij.*
 giendum, direpta prius Vrbe, suspecta haberet, mentitus
 est paucas hostium naues proximo littori applicuisse,
 easq; diripi posse: qua spe stimulos Thracas emisit, ac
 deinde clausis portis non recepit. P. Furius, & C. Fla- *Polyb. lib. ij.*
 minius Cos. cum in subribus Gallis dimicaturi, cum Ce-
 romanorum copijs, quas ut sociorum Pop. R. secum ha-
 bebant, parum fiderent, quoniam cum eiusdem generis
 hominibus dimicandum esset, periculo sumq; uideretur
 eiusmodi hominibus in eo discrimine, atq; ijs præsertim
 locis salutem suam committere: ita ancipites consilium
 tandem periculosum capiunt, uocatos ad se Cenomanos
 Alduam amnem, apud quem castra erant, per pontem
 transire iubent, deinde pontem rescindunt, uno tempore
 illis facultatem coniungendi sese cum hostibus auferens
 tes, & suas unam duntaxat spem salutis in uictoria re-
 linquentes. Persæ quoq; cum circa Mycalem, Samios, & *Polien lib.*
 Milesios suspectos haberent, iusserunt eos montes & iu- *vij.*
 ga Mycalæ occupare, uerbo quidem, quod regionis perizi-
 tiam haberent, re autem, ne sua præsentia reliquos etiam

Idem lib. iv. Græcos corrūperent. Antigonus Rex in Cappadocia hibernabat; defecerunt ab eo tria millia Macedonū, qui armati collibus munitioribus occupatis, Lycaoniā, & Phrygiā populabantur. Antigonus tot homines morte multare crudele, et inhumanū putabat, metuebat autem, ne se cum hostibus coniungerent: itaq; talem dolum machinatus est. Dimisit ad eos Leonidam unum de suis ducibus, qui se participem defectionis præberet; illi hominem libenter receperunt, eūq; ducē creariūt. Leonidas primū ijs per suasit, ne cū aliquo se coniungerent; postea deduxit eos à collibus in locum equitibus idoneū, cum ipsi carerēt equis. Hic ad equitās Antigonus auctores defectionis cōprehendit, alios per Leonidam usq; in Macedoniam domum reduci iussit.

Liuius lib. xxiv. Pœnis autem Q. Fabio Maximi F. & T. Sempronio Graccho II. Cos. Arpis non bene successit consilium. Inuadentibus enim Romanis eam Urbem, in qua præsidium erat Hannibals quinque millium ferè armatorum, & ipsi Arpini tria millia hominum armabant, eos prius Pœni, ne quid à tergo fraudis esset, cum hosti opposuissent, eò factum est, ut cognitis inter se quibusdam Arpinis, & Romanis, atq; inde coeptis colloquijs, breui Arpini pro Romanis aduersus Carthaginenses arma uerterint; atq; illos secuti Hispani paulo minus mille homines, qui cum Pœnis militabant, ad Romanos transfugerint signa; sicq; Arpi sine clade Romanis restituti. Nec secus ipsis quoq; Romanis accidit, cum Hannibal apud

Valer. Max. lib. vij. c. iij.

Cannas ad dimicandum cum eis descensurus, quadringentos equites subornauit, qui simulata transitione petierunt Romanum Consulem, à quo nihil aliud, quàm iussu more transfugarum depositis armis in ultimam pugnae partem secedere, districtis gladijs, quos inter tunicas, & loricas abdiderant, poplites pugnantium Ro. ceciderunt. Molon quoq; cum ab Antiocho defecisset, Mediamq; & Polyb. lib. v. plures alias illius Regni regiones occupauisset, imprudenter se circumueniri passus est; ut quanquam suorum fidem suspectam haberet, in latis campis aperto Marte congressi cogeretur: Quo factum est, ut leuum eius exercitus cornu, simul atq; in conspectum Regis uenit, ad hostes transfuerit, ipseq; exinde uictus se ipsum occiderit. Eumenes uero unus ex Alexandri magni successoribus, cui Justin. lib. xij. primum Cappadocia, & Paphlagonia prouinciæ datæ fuerant, adiecta deinde Caria, Lycia, & Phrygia, cum Neoptolemus, quem in exercitu socium habebat, non solum ipse cum suis militibus ad Antipatrum hostem transfugere, uerum etiam prodere Eumenis exercitum cogitaret, præueniens Eumenes cum proditore prælio decreuit, illumq; uictum fugauit.

Nonnulli Duces conati sunt ijs, qui transfugere uellent, auferre spem, ne ab hostibus acciperentur, aut ut omnino fugientes ab hostibus tanquam exploratores occiderentur. Hamilcar enim dux Pœnorum, cum auxiliares Front. ubi res Galli, qui frequenter à se ad Romanos transibant, à sup.

Romanis ex consuetudine ut socij exciperentur, sibi fidos subornauit, ad simulandum transitionem, qui Romanos excipiendorum causa progressos occiderunt. Quo facto praestitit, ut Romanis deinde ueri quoque transfugae suspecti essent. Hanno autem alter Carthaginensium Imperator in Sicilia cum comperisset Gallorum mercenariorum circiter quattuor millia conspirasse ad transfugiendum ad Romanos, fidelissimum ex suis ad Octacilium Cos. misit, qui tanquam ex iusta causa transfugisset, nuntiauit nocte proxima Gallorum quattuor millia, quae praedatum forent missa, posse excipi. Octacilius rem non spernendam esse ratus, disposuit in insidijs leuissimos ex suis, a quibus Galli excepti dupliciter Hannonis consilio satisfecerunt: nam ex Romanis aliquot occiderunt, & ipsi omnes interfecti sunt. Iphicrates Atheniensis, cum duo ex suis mercenarijs ad Lacedaemonios transfugissent, clandestinas literas ad duces eorum, qui defecerant, misit, admonens ut constituti temporis meminissent, quo etiam ex Athenis auxilium expectaret: sciens epistolam ad custodes uiarum peruenturam: postquam autem custodes uiarum literas attulerunt Lacedaemonijs, illi comprehendendos transfugas existimauerunt: quibus nihil optatius fuit, quam ut effugere possent; cum Atheniensibus perfidi extitissent, Lacedaemonijs tantummodo uiderentur. Simile quiddam & de M. Lucullo scribitur, qui cum conspexisset Macedones equum

Polyen. lib.
liij.

tes, qui secum militabant, ad hostes fugam arripuisse, statim incundi prælij uniuerso exercitui signa dari, omnesq; tanquam prælium commissuros insequi Macedones iussit. Quam ob rem hostes credentes Lucullum uere in prælium descendere, tanto impetu in obuios Macedones irruerunt, quòd illi coacti se defendere inuiti ex transfugis pugnatores facti sunt. Hannibal simili consilio Fronti. transfugas ultus est: nam cum aliquot ex militibus suis sciret transfugisse proxima nocte, nec ignoraret Romanorum hostium exploratores in castris suis esse, palam pronuntiauit non debere transfugas uocari, solertissimos milites, qui ipsius iussu exirent ad excipienda hostium consilia: Quæ audita cum retulissent exploratores ad suos, comprehensi à Romanis transfugæ amputatis manibus remissi sunt.

Quòd si animaduerti in eos omnino nequeat, aliqua cautione dissimulanda est fuga, & si fieri potest, ad nostram utilitatem conuertenda. Quo pacto Datames Polyen. lib. Per sarum Regis Satrapes in pugnae discrimine, cum tribus vij. equitum assumptis à sinistro cornu equitibus ad hostes transfisset, per obstupefactos, ac perterritos productione pedites discurrens hortabatur ut totam aciem conseruarent, tanquam equitibus etiam simul opportuno tempore impressionem facturis, quod ipse præscripsisset: crediderunt pedites, & equitibus uictoriam præripere conabantur, ipsiq; conferto agmine in hostes irruentes, ui-

Liv.

Etiores discesserunt, postq; uictoriam tandem proditionem equitum cognouerunt. Tullus quoq; Hostilius Rom. Rex, cum in praelio contra Fidenates Albani socij proditione facta, leuo cornu relicto in uicinos colles discessissent; & eques quidam ad Tullum contendens proditionem nunciauisset, magna uoce exclamauit. Tu tuum locum tene: Albani enim abierunt meo iussu, ut hostes circunuentos includant. Quo audito Romani fortissime uociferabantur: nec latuit Fidenates uociferantium latitia, itaq; summo gaudio in fugam uersi sunt, ueriti, ne ab Albanis circunuenirentur. Hæc ita dicta sint de ijs militibus, qui sine iusta causa transfugiunt.

Demosth. Philipp.

Summopere autem cauendum est cum Ducibus omnibus, tum ijs præcipue, qui mercenario utuntur milite, ne quam suis causam dent transfugiendi, ne pacta illis merces, aut procrastinando diutius retardetur, aut prorsus denegetur, ne'ue per contemptum illudi uideantur. Nam præterquam quod sit iniuste, cum mercenarius (id quod à nostris hominibus sæpissime usurpatum est) mercede sua dignus sit, quo facto auaritiæ, imprudentiæ uel nota Ducibus inuritur, Deorum prouocatur ira, quorum uindicta licet fera uideatur, in tempore tamen aduenit. Insuper ipsi plerunq; milites magna cum laude iniurias suas ulciscuntur. Idcirco iusti, ac prudentis est Imperatoris ante omnia curare, ut quicquid illis debetur, ad diem persoluatur. Nec uero putet inopiæ excusationem

milites facile accepturos esse, nisi ea comiter, & humaniter patefacta, ostendatur non uoluntatem deesse, sed facultatem, quæ cum primum data fuerit, fore ut ijs liberaliter satisfiat: alio enim pacto iniustitiæ, imprudentiæ uel nota nequit euitari. Cæsar eiusmodi necessitate coactus prudenter à Tribunis militum, Centurionibusq; mutuas pecunias sumpsit, quas exercitui distribuit. Quo facto duas res est consecutus: nam & eo quasi pignore animos Centurionum deuinxit, et largitione militum uoluntates redemit. Nec desunt eorum exempla, qui suos agros suamq; supellectilem, ut pactum stipendium militibus exoluerent, hasta posita uendidere. Timotheus, cum in Atticis castris maxima esset nummi raritas, suasit mercatoribus ut ipsius sigillo pro numismate uterentur: discedentes uero iuxta sigilli modum acciperent argentum; crediderunt mercatores, & forum mercatoribus præbuerunt ob Ducis sigillum: quibus discedentibus ad extremum abundans pecunijs Timotheus constitutum pretium persoluit. Perdicca autem Rex Macedoniæ cum Chalcidensibus bellum gerens, destitutus argenteo numismate, stannum ære mixtum signauit, atq; ita stipendium militibus suppetebat: mercatores regium numisma accipiebant, cum uero extra fines nulli esset usus, pro his, regionis suæ frumenta, ac fructus reddidit. Fridericus eius nominis secundus Imperator, ut à quibusdam memoriarum pro litum est, cum Fauentiam obsideret, in rei pecu-

De bell. ciu.
lib. i.

Polyen. lib.

ij.

Idem lib. iv.

D. Antoninus
in Chronicis.
Collenucius
in hist. Neap.
lib. iv.

niariae summis angustijs primum quidem uasa omnia
 aurea, & argentea, uniuersam deinde regiam supelle-
 ctilem pignori dedit; nummos è corio postremo effingi, ac
 formari iussit, in altera quidem parte aquilae, in altera
 uero sua imagine signatos, edixitq; ut pro nummis aureis
 in modum uerae pecuniae permutarentur: finito bello, qui
 ad ærarium eos deferrent, nummos aureos totidem ac-
 cepturos; quod ita summa cum fide fuit obseruatum.
 Adeo uerum est nisi per summam Imperatoris auariz-
 tiam, atq; imprudentiam raro accideret, ut mercedis tan-
 tum inopia milites eum deserant. Quod uel unius
 Hannibalis exemplo dignosci potest, qui nescitur, admi-
 rabilior fuerit aduersis rebus, quam secundis, præsertim
 in continendo per annos quattuordecim in Italia merces-
 nariorum exercitu ex omnium gentium colluione mis-
 sto; ut nulla nec inter ipsos milites, nec aduersus Ducem
 seditio extiterit, cum etiam pecunia sæpe in stipendium,
 & commeatus in hostium agro deessent: quorum inopia
 priore Punico bello multa nefanda inter Duces, militesq;
 commissa fuerant. Nam Carthaginienfes sub finem pri-
 mi belli Punici, cum rei nummariae difficultate summa
 tenerentur ob imprudenter tractatum cum mercenario
 exercitu negotium de persoluendis debitis illi stipendijs,
 ab eo sunt grauissimo, atq; omnium crudelissimo bello
 prope ad ultimum exitium afflicti. Et Rhodi olim euer-
 sa est popularis potestas, coniuratione facta per Præfes-
 tos

Lilius lib.
 xxviij.

Polyb. lib. i.

Aristot. Po-
 lit. lib. v. cap.

Etos trëremium , cum potentes quidam in populo reddi uetarent pecunias, quæ conductis militibus debebantur.

Nondum sanatum est, & in dies recrudescit ob Imperatoris Heraclij, eiusq; Ducum auaritiam , & imprudentiam Romano Imperio simul & Christianæ religioni impositum uulnus . Nam cum stipendia post bellum Persicum militibus soluerentur , quererenturq; Saraceni, quorum is opera fuerat eo bello usus, fraudari se merito stipendio, tum arrogans, atq; imprudens Quæstor, Vix, inquit, est quod Græco, & Romano militi detur, & hæc canum turba stipendium tam impudenter efflagitat. Ad eam uocem Sarraceni ira accensi primo in Syriam secessere , ibiq; aucta multitudine Damascum occupant, deinde ex ijs , qui domum remanserant , aucto exercitu Aegyptum ingressi, ea facile sunt potiti , atq; inde initium habuit id, quod latius exarsit , ardetq; adhuc Mahometis incendium, eius lege per uniuersum penè terrarum Orbem circunlata . Nec quisquam est, nisi communi careat sensu, qui mercenarios Imperatoris iniquitatem, & iniuriam quoquo modo ulciscentes non laudet : quemadmodum multi ob eiusmodi causas etiam Duces ipsos interfecere : quod & licitum esse ex ijs , quæ dicta sunt, ubi de seditionibus locuti sumus , probasse uideor . Similis culpæ nota cauenda est Imperatori in comeatuum, aquæ, pabulorumq; procuratione , eiusmodiq; omnium, quæ illius prouidentiam requirunt . Nam ea si

Bibliothecæ
Platina
Sabell.

C

desint, nedum mercenarijs, sed alijs quoq; militibus cum magna Ducis ignominia deserendi eius iustam causam præbere possunt; quod latius ibi explicatum est, ubi de Imperatoris officio tractauimus.

Eos autem, quos ira, metu uel aliquo incitatos fugituros esse suspicemur, proderit interdum non occidere, neq; in uincula conijcere, sed potius dissimulata suspitione beneficio aliquo conciliare; quod quo tempore, quoq; sit modo agendum, unius Cl. Marcelli Prætoris Romani exemplo doceri possumus. Illud certe animaduertendum erit, ne ijs fugiendi facultas relinquatur, qui atrociori aliqua prius iniuria affecti fuerint, quam ut spes esse possit eius memoriam quantiscunq; beneficijs esse obliteratam. Quis enim dementiæ non accuset Astyagem Medorum Regem, qui, cum Cyrus nepos bellum sibi inferret, Harpago (cuius antea filium interfectum patri epulandum tradiderat) summam belli commisit; atq; ille exercitum acceptum statim Cyro tradidit, Regisq; crudelitatem defectione ultus est. Quis non eodem nomine merito accuset Assyriorum Regem, qui Cyro firmissimo cum exercitu in se irruente, Gobriam, & Gadatam uiros potentissimos non solum suæ potestatis esse permisit, sed magnis etiam rebus præfecit, cum prius illi unicum filium occidisset, hunc uero exestum Spadonem fecisset. Quam ob rem illi acceptarum iniuriarum memores cum primis ad Cyrum transfus

Iustin. lib. i.

Xenoph. Pæz
dic. lib. v.

gientes multa, & magna Regi damna intulerunt. Cl. Liu lib. xxij. uero Marcellus, cum Battæus, seu, ut alij uocant, Bantius ^{Fronti. ubi} Nolanus iuuenis acer, & nobilissimus eques, qui sauis ^{sup.} cius ad Cannas in aceruo cæforum corporum inuentus, curatusq; benigne etiam cum donis ab Hannibale donum remissus fuerat, & ob eius gratiam meriti, ante Marcelli aduentum corrumpere ad defectionem populares studuerat: sic attentatæ defectionis conscientia, ac pœnæ metu, ad patriæ prodicionem, & si id non succederet, ad transfugiendum stimularetur; Marcellus Prætor, quia interficere eum, ne supplicio eius Nolanus populus concitaretur, periculosum esse cernebat, accersitum ad se allocutus est, dicens: multos eum inuidos inter populares habere, inde existimatu facile esse, quod nemo ciuis Nolanus sibi indicauerit, quàm multa eius egregia facinora militaria essent: sed qui in Romanis militauerit castris, non posse eius uirtutem obscuram esse, alios sibi, qui cum eo stipendia fecerint, referre, qui uir esset ille, quæq; & quoties pericula pro salute, ac dignitate populi Romani aduisset: itaq; matre uirtute esto, inquit, apud me tibi omnis honos, atq; omne præmium erit. Et quò frequentior mecum fueris, senties eam rem tibi dignitati, atq; emolumento esse, lætoq; iuueni super uerborum honorem equum eximium dono dat, bigatosq; quingentos Quæstorem numerare iubet: licitoribus imperat, ut eum, quoties uelit, se adire patiantur. Hac co-

C ij

Acilius Probus.

mitate Marcellus non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligauit, & ferocis iuuenis animus adeo est emollitus, ut nemo inde sociorum rem Ro. fortius, ac fidelius iuuerit. Eadem prudentia usus est Agesilaus. Nam cum Epaminondas incredibili impetu Spartam Urbem inuaderet, ac ciuitas cerneret moribus, aliquot adolescentes hostium aduentu terziti statuerant ad Thebanos transfugere, iamq; locum extra urbem editum occupant: Agesilaus perpendens actum fore de Ciuitatis incolumitate, si sensisset populus aliquos ad Thebanos transfugere conari, dissimulans cum suis ad adolescentum turbam peruenit, ac perinde quasi id bono animo fecissent, collaudauit consilium, quod eum locum occupassent: sibiq; in animo fuisse dixit idem facere. Sic adolescentulos ficta laudatione temperauit, & adiuentis sibi comitibus locum tutum reddidit.

Proximum est ut uideamus, si quibus commentis ad fugiendum ex hostibus ad nos allicere quam plurimos possimus. Quamquam non ignoro à nonnullis esse quaesitum, sit ne honestum, utile, tutum, transfugas recipere. Ut honestum esse doceam, non uideo cur laborem, cum ab omnibus passim prudentissimis etiam Ducibus, Regibus, & Populis inuenerim benigne semper exceptos fuisse transfugas. Utile autem per se quidem fatendum est, cum, sicut dixi, prudentissimus quisq; illos excipien-

dos esse existimauerit, non solum quòd per illos hostium numerus imminuitur, no ster augetur, sed etiam quòd ad cognoscendas hostium res præsertim arcanas plerunq; eorum consilia prosunt magis, quàm exploratores: quæ res notior est, quàm ut exemplis sit demonstranda. Accedit eò quòd nouis socijs interdum aliquo prius esse student emolumento, quod expurgata suspitione eorum transitioni auctoritatem afferat, & fidem: quemadmodum fecisse legitur Acedux quidam nobilis Hispanus Polyb. lib. ij. tum Sagunti agens, cum Cn. & P. Scipionum uirtute Liu. li. xxij. Romanorum res in Hispania melior esset. Is igitur Acedux claritate generis, & uitæ splendore nemini secundus, ac propterea Chartaginiensibus inter primos fidus, Romanorum in Hispania secundas res animaduertens, cum fortuna mutauit fidem. Cæterum transfugam sine magnæ rei proditione uenientem ad hostes nihil aliud, quàm unum uile, atq; infame corpus esse ratus, id egit, ut quàm maximum emolumentum nouis socijs esset: ideoq; per fallaciam circumuento Postare Punici præsidij præfecto, omnes omnium Hispanorum Carthaginiensibus datos obsides, qui Sagunti custodiebantur, P. Scipioni tradidit, quibus in suas ciuitates remissis, ingenti consensu omnes Hispaniæ populi ad defectionem à Carthaginiensibus, & societatem cum Romanis in eundam inclinarunt. Huic rei ualde consentiunt Indibiz Liuus lib. li. xxvj. & Mandonij itidem Hispanorum uerba. li enim ad

P. Scipionem, qui postea Africanus dictus fuit, profecti sunt. Indibilis pro utroque locutus, haud quaquam ut barbarus stolidus, incauteque, sed potius uerecunda cum grauitate, propiorque excusanti transitionem ut necessariam, quam glorianti ea, uelut ad primam occasionem raptam: scire enim se transfugae nomen execrabile ueteribus socijs, nouis suspectum esse: neque eum se reprehendere morem hominum, si tam anceps odium, causa, non nomen faciat. Merita inde sua in Duces Carthaginenses commemorauit, auaritiam contra eorum, superbiamque, & omnis generis iniurias in se, atque populares. Itaque corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse, animum iam pridem ibi esse, ubi ius, ac fas crederet colere: ad Deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum uim, atque iniuriam pati. Sed id Scipionem orare, ut transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit: quales ex ea die experiundo cognouerit, perinde operae eorum pretium faciat. Cui non absis-

Thucid. li. iij. milis est Mytilenorum Legatorum oratio. Scimus quidem uiri Lacedaemonij, sociique hoc receptum apud Graecos, & iustum esse, ut quoscunque belli tempore a pristina societate deficientes in suam accipiunt, eos tantisper in delictis habeant, dum illis utiles sunt: sed cum existiment superiorum amicorum proditores fuisse, eosdem se cum peiores fore utique censere: neque id iniuria, si tamen inter se aequales essent qui deficiunt, & qui deseruntur:

cum enim aliqui pares sunt consilio, ac benevolentia, si item æquales sint apparatu, & uiribus, nulla subest æqua causa defectionis; quod in nobis, Atheniensibusq; non fuit, & quæ sequuntur. Magno præterea usui semper sunt ueri transfugæ, ij præsertim, qui ob iram, metum uè à suis aufugiunt, & quia nouorum sociorum benevolentiam captare student, & quia summopere cauent, ne ad eorum, à quibus aufugerunt, manus redigantur, siue singuli, siue plures, pauci, multi uè fuerint: quod, præter quæ supra diximus, multis alijs potest exemplis confirmari. Onesimus Pythonis filius nobilis Macedo, qui Perseo Regi semper auctor fuerat seruandæ cum Romanis pacis, cum suspectum se esse cerneret, & prodicionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit, magnoq; usui Paulo AEmilio Cos. fuit. Demetrius unus ex Ducibus Theucæ Reginæ Illyrij, quoniam sibi exhibitum ab æmulis apud Reginam negotium intellexerat, mulieris iram ueritus ad Romanos perfugit, & multa suæ Reginæ damna intulit. T. Cl. Sabinus ex Vrbe Regillo generosus, pollensq; opibus, alienatis ab eo Sabinorum Primoribus ob ambitionem in Rep. & ab ijs dicta illi die, qui prodicionis eum accusabant, quoniam ad inferendum Romanis bellum minime promptus erat, id horrens iudicium, cum oporteret eum ab inimicis iudicari, ad Romanos transfugit, cognationem adducens magnam, & amicos, & clientes haud

Liuus lib.
xliij.

Polyb.

Dionys. lib. v.
Liu. lib. ij.

Liuius lib.
xxxij.

pauciores quinq; milibus, qui arma ferre possent: nec parum momenti Romanis ad res gerendas attulit; ususq; est bene gerendi aduersus Sabinos belli fuisse omnium causa praecipua. Cum Romani Corinthum oppugnantes Macedonas, & Graecos facile loco pulsuri esse uiderentur, restitit Italicorum transfugarum multitudo, quae ibi erat, pars ex Hannibalis exercitu metu praenata à Romanis Philippum Macedoniae Regem secuti, pars nauales socij relictis nuper classibus ad spem honoratoris militiae transgressi: hos desperata salus, si Romani uicissent, ad rabiem magis, quam audaciam accendebat. Possent his similia exempla multa proferri, sed haec uidentur satis esse ad probandum uerum esse quod proposuimus, de utilitate ex transfugis capienda.

Reliquum est, ut, quoniam innumerabilia sunt exempla eorum, qui per simulatos transfugas in calamitatem inciderunt, uideamus, si qua ratione cauere possimus, ne à falsis transfugis decipiamur. Facile enim quiuis pronunciabit ita esse transfugarum, atq; omnium proditorum fidei innitendum, ut à perfidia bene tuti esse possimus. Sed illud perdifficile est, id quo fieri pacto queat, edocere: etenim nemini prorsus quicquam credere, non facit ad res gerendas. Si uero certis argumentis, quatenus fieri licet, & coniecturis, quae rationi conueniant, ducaris, reprehensione carebis. Multa, quae praecipis concludi nequeunt, ipsum tempus aperiet; & id est uiri, & Ducis,

& Ducis, fortunæ se præbenti non deesse, & oblata
 casu flectere ad consilium. Culpani itaq; sunt, qui ea
 præsertim, quæ etiam uera parum utilia essent, incon-
 sideratius credentes in periculum aliquod se conijci pa-
 tiuntur. Nam, ut de multis pauca afferamus exempla,
 quis excusare ualeat Priamum (si fabulis hoc loco lu- Virgil. lib. ij.
 dendum est: sed & si id in Priamo uerum non fuit, in Æneid.
 alio uerum esse potuit, & uero simile est) qui tam fa-
 cile fidem habuerit Sinoni, qui se ignotum uenientibus
 ultro; hoc ipsum ut strueret, Troiamq; aperiret Achil-
 uis, obtulerat: cuius insidijs, & periurijs credita res, ca-
 ptiq; dolis, lachrymisq; coacti, quos neq; Tydides, nec
 Lariissæus Achilles, non anni domuere decem, non mille
 carinæ. Quis præterea excuset duos imprudentes ha- Herod. li. viij.
 bitos Xersem Asiæ dominum, & Nabidem Lacedæ- Diodor. lib. y.
 moniorum tyrannum? quorum ille missis à Themistocle
 falsis transfugis persuasus primum numerosam illam
 classem in Isthmi angustias adduxit, ubi à paucis Græ-
 corum nauibus fuit superata: Deinde ueritus ne soluto
 ponte, quem ipse fecerat, Græci eum maris tractum oc-
 cupantes reditum sibi in Asiam intercluderent, dimi-
 nuto terrestri exercitu, cuius innumerabilis multitudo
 Græcis erat formidolosa, discedens, Mardonium in
 Græcia reliquit. Nabis uero ab eo, quem Philopæmen Liuus lib.
 specie transfugæ miserat, deceptus, relictis munitissi- xxxv.
 mis, in quibus erat, castris, ut Urbem contra simulatum

D

hostium incursum muniret, simul Achæos hostes à locorum, in quibus erant, angustijs liberauit, & castracum exercitu amisit, & in ipsa Vrbe turpiter est obseffus. Eiusdem imprudentiæ merito accusari potest

Appian. bell.
ciu. lib. i.

Q. Cæpio Romanus Prætor, bello sociali, qui uenienti ad se specie transfugæ Q. Popedio hostium Prætori temere credidit, quia ille duos impuberes seruos, quos secum duxerat, filiorum in morem purpureis ornatos uestibus, in potestatem ei tradidit, & ut fidem promereretur, massas quasdam plumbeas, auro, argentoq; contextas unâ detulit, summaq; celeritate Cæpionem adhortatus est, ut se cum copijs insequeretur, quasi Duce destitutum relicturus illi esset exercitum, & cum ductus fatua credulitate Cæpio eum secutus esset, Popædius loco proximus, ubi insidiæ latebant, colleni quendam ascendit ueluti hostem speculaturus, signumq; illis, qui in insidijs erant, ostendit: ij uero ex insidijs prodeuntes Cæpionem, pluresq; alios ibidem captos interemere. Culpandi uero non sunt, qui, quo ad eius fieri potest, prudenter cuncta gerunt. Sunt autem huiusmodi uero similia argumenta, si transfugæ secum fortasse adduxerint uxores, liberos, & quæ alia solent esse hominibus cara. Accedit eò, quod maximum est, uita hominis ante acta. Sed quoniam raro huiusmodi usu ueniunt, proximum fuerit ea curare, quæ rationi conueniant. Quam ob rem considerare in primis oportebit, si de

transfugiendi causa, deq; ijs, quæ renuntiant, & quæ
 præstituros, facturos uel se pollicentur diligenter per-
 quisiiti haud uana afferre uideantur; et si iterum, atq; ite-
 rum eisdem de rebus interrogati prius dictis consenta-
 nea respondeant, ac quo uultu, quæ uel animi constantia
 loquantur. Deinde semper illud memoria repetendum,
 adhibere te fidem transfugæ, id est ei, qui paulò ante
 hostis erat; quod genus hominum falsum sæpe esse solet.
 Itaq; simul utrunq; agendum, ut dum illi fidem habes,
 simul etiam tibi ab insidijs caueas. In quam sententiam
 sunt elegantissima uerba M. Lepidi dicentis. Itaq; ad
 me complures milites, & equites ab Antonio transie-
 runt, & in dies singulos eius copiæ minuuntur. Sylla-
 nus, & Culleo ab eo discesserunt; nos & si grauius ab
 ijs læsi eramus, quod contra nostram uoluntatem ad An-
 tonium ierant, tamen nostræ humanitatis, & necessi-
 tudinis causa, eorum salutis rationem habuimus; nec ta-
 men eorum opera utimur, neq; in castris habemus, neq;
 ulli negotio præfecimus. Illud nemo negauerit impru-
 denter fieri, si eius generis hominibus summa rerum,
 aut tanta auctoritas tribuatur, ut arbitrio suo res gere-
 re possint; quod nunquam faciendum esse docemur uel
 Zopyri exemplo, qui Dario Babyloniorum exercitum,
 urbemq; ipsam prodidit, cum eum Babylonij ducem sibi
 constituissent, quoniam ad eos lacerato corpore specie
 transfugæ uenerat; & nota nobilitas uiri pariter &

Liu. lib. ix.
 ubi de trans-
 fuga Sorano
 loquitur.

In Epist. Cic.
 famil. lib. x.

Iustin. lib. i.
 Herodot. lib.
 iv.

uirtus erat, & fidei ueluti pignora secum uulnera cor-
 poris, & iniuriæ notas habebat. Vel etiam exemplo
 Sex. Tarquinij, qui simulato in parentem odio, à Gabi-
 nis, ad quos transfugerat, Dux belli factus exercitum,
 & Gabios urbem Tarquinio patri prodidit. Darius,
 cum aduersus Saccas expeditionem suscepisset, Equis
 quidam nomine Risaces accessit Saccarum Reges, pro-
 mittens se Persarum copias ad nihilum redacturum, si
 iuramento confirmarent se liberis, ac posteris eius
 equos, & pecunias duros: quibus iurantibus ille striz-
 eto cultro nares, & aures suas abscidit, ac reliquum cor-
 pus uehementer mutilauit, transfugiensq; ad Darium,
 hanc inquit calamitatem se à Saccarum Regibus acce-
 pisse. Darius magnitudini calamitatis fidem adhibuit.
 Risaces uero iureiurando obtestans. Supplicium (inquit)
 per Persas uolui ab ipsis sumere: hoc autem pacto id fieri
 poterit. Saccæ nocte sequenti castra mouere consti-
 tuerunt: quòd si nos per aliam compendiosiore uiam
 præoccupauerimus eum locum, quo illis iter est, tanquam
 in reti capiemus omnes: ego cum pastor sim equorum, &
 omnium locorum notitiam habeam, uiam facile mon-
 strabo: sed res postulabit, ut esculenta, poculentaq; sep-
 tem dierum nobiscum uehamus, adhibitaq; ei temere fi-
 de uiam præmonstrans exercitum septem diebus ductum
 in aridam Mediam coniecit: deficiente aqua, & cibarijs,
 complosisq; manibus in cachinnum effusus: ego (inquit)

uictoriam adeptus summam ut à Saccis ciuibus meis periculum depellerem, siti, ac fame Persas necaui. Eodem Idem eo. lib. modo Lysimachus Rex Macedonum cum Thraciæ bellum inferret, Dromichætis Thraciæ Regis Dux Aethis transfugæ specie ad Lysimachum transit. Qui, cum fidelis esse imprudenter crederetur, uiarum Dux factus Macedones in locorum difficultates adduxit, ubi fame, sitiq; conflictantes Dromichætis adortus, cum ipsum Lysimachum, tum omnes, qui eum sequebantur, ad centum millia hominum interfecit. Atq; hoc tanti esse momenti compertum est, ut ueris quoq; transfugis data auctoritas, ijs qui dederant, nocere potuerit; quod uel unius Martij Coriolani factò comprobatur. Is enim uerus Liu. Dionys. & aly. quidem transfuga à Volscis belli Dux electus cum urbem Romam uehementer premeret, eamq; expugnaturus esse uideretur, matris precibus uictus ab urbe castra mouit, ipsamq; ab eo periculo liberauit. Id. lib. 4. c. 17.

Ut ad fugiendum ex hostibus ad nos prouocemus, nihil magis ualebit, quam secunda rerum nostrarum fortuna, quam profuerit arte etiam adiuuare. Alexander Diodor. lib. xvij. Magnus, postquam Thebas funditus euertere decreuerat, exercitu ad dimicandum instructo, palam clareq; admoneri iussit. Si quis Thebanorum ad se transire, & pacis omnibus Græcis datæ societatem inire uellet. Roman. lib. xxxv.

mani Capuam oppugnaturi, priusquam Ciuitatem operibus clauderent, potestatem Campanis fecerunt, ut qui

eorum uellent, exirent Capua, suasq; res secum aufererent; liberos fore, suaq; omnia habituros, qui ante certum diem exissent. Id edictum iterum ex S. C. propositum, uulgatumq; , ut qui ciuis Campanus ante certum diem

Herodot. lib. vi. exisset, sine fraude esset. Artaphernes quoq; Darij Praefectus Miletum obseffurus, ad eliciendum inde Iones ibi militantes; non quidem, ita publice, sed priuatim singularum Ciuitatum uiris similem pollicitationem denunciandam curauit. Sed quoniam nec Alexandro, nec Romanis quicquam talia edicta, nec Artapherni sui nuntij profuere, cum, quemadmodum ad Artaphernem ex Miletu, ita nemo Thebanus ad Alexandrum, neq; Campanus ad Romanos transuerit; & illis Alexandrum, & his Romanos spernentibus, iactis etiam in illos contumelys, circumspectius uidetur egisse Cinna, qui cum exercitu circa Urbem prouectus, per praekonem nunciari mandauit, daturum se seruis, qui ad eum confugissent, libertatem: quo facto propere multitudo transfugarum ad eum uenit, ob idq; territus Senatus Legatos ad eum pro conciliatione ciuium emisit. Mentor quoq; Sidonius unus ex Ducibus Artaxersis. Bubastum, & complures alias Aegypti urbes huiusmodi calliditate cepit: haec enim uerba in castris palam habuit, decreuisse Artaxerses eos, qui sibi Vrbes ultro dederent, humanissime tractare, qui rursus ui superarentur, ijs cladem inferre, qualem ab eo Sidonij paulo ante passi fuerant. Mandat

Appian. bell. ciu. lib. i.

Diodor. lib. xvi.

uit post id custodibus portarum, ut libere permitterent egredi, qui ab se uellent transfugere. Ita nullo impediēte captiui Aegyptij, qui erant in castris abeuntes, breui per omnes Aegypti urbes uerba illa disseminarunt; indeq; inter mercenarium militem, & indigenam dissensioncs subito ubiq; exortæ sunt: utriq; enim per quandam æmulationem studebant prodere loca, quibus præessent, ut soli aliquod emolumentum consequerentur: eo pacto Artaxerxes totius Aegypti est breui potitus. An- Polyen. li. i. v.
 tigonus quoq; aduersus Eumenem bellum gerens, cum Eumeniorum militum impedimenta quodam in loco relicta magna ex parte abripuisset, illosq; molestissime ferre suarum rerum amissionem cernebat, promulgauit se gratis redditurum ea, quæ rapuisset: illi uero ad hanc promulgationem continuo transiuerunt: tantaq; repente sententiarum, & fortunæ mutatio facta est, ut Argyraspides comprehensum Eumenem, ac uinctum traderent, Antigonus uero totius Asiae Rex proclamatus est. Seleucus, cum Demetrii hostis milites admodum timidi Idem eod. lib.
 essent, ac trepidi, fortissimos ex Satellitibus delegit, & Elephantos octo in fronte præposuit, ac per angustum secessum ad latus hostium incedens, abiecta galea magna uoce exclamabat: Quousq; tandem insanitis, prædonumq; dominum fame confectum sequimini? cum apud Regem diuitijs affluentem stipendia merere possitis, & regno non in spe posito, sed præsentiperfrui. His

auditis, pleriq; hastas, atq; enses abiecerunt, complofisq;
 Appian. bell. manibus Seleuco accesserunt. Caius Papius unus ex
 ciu. lib. i. Ducibus Italorum bello sociali aduersus Rom. ut Numi-
 das equites, quos Romanorum Cos. Sex. Iulius Cæsar in
 suo habebat exercitu, ad transfugiendum alliceret,
 Oxintham Iugurthæ Numidarum Regis filium, qui à
 Romanis Venusij custodiebatur, urbe extulit: hunc pur-
 pura regia uelatum sæpenumero Numidis, qui cum Cæs-
 sare aderant, ostendit: multis igitur Numidarum ad
 eum tanquam Regem fugientibus, reliquos Cæsar uelut
 Diodor. lib. suspectos in Lybiam dimisit. Et Alexander Macedo
 xvij. in Bactrianam contra Bessum, qui per fraudem occiso
 Dario Regem se appellari iusserat, proficiscens, cum Ba-
 godaras Bessi familiaris imminente ex illius ira periculo
 uitato, noctu ad Alexandrum transfugisset, & Ale-
 xander ei salutem, & munera concessisset, effecit, ut ea
 liberalitate inuitati primi barbarorum Duces conspira-
 tione facta captum Bessum ad eum adduxerint. Eius,
 Polyen. lib. quod de Mentore Syrio dictum est, simile fecit Tirtæ-
 xxvi. us, qui Lacedæmonijs uolentibus cum Messenijs signa
 conferre, cum statuissent aut uictoriam reportare, aut
 mortem in prælio obire: atq; ut quilibet à suis inter
 mortuos agnosci posset, Scythalis nomina in scripta circa
 leuam appendissent; uolens hac re patefacta, Messenijs
 terrorem incutere, mandauit Hilotum transfugientium
 nullam haberi rationem: itaq; illi, nemine obseruante,
 sensim

senſim transfugientes, deſperationem Laconicam Meſſeniyſ nunciarunt: at illi perterriti infirmiori robore pugnantes uictoriam non exiguam Lacedæmonijs dederunt. Cyrus Armeniorum Regem in fugam uerſum inſequens, ut uidit campum diſcurrentium, & impellentium plenum, ad eos clam miſit, inquiring, eorum ſe nemini hoſtem eſſe, qui manerent: quod ſi quem ceperit fugientem, eo pro hoſte ſe uſurum: itaq; plures reſtiterunt. Fuit & illud Furij Camilli conſilium in tempore prudens: cum enim Sutrium eodem die, quo ab Hetruſcis captum fuerat, recepiſſet, & cauere uellet, ne Hetruſcis, qui paſſim trucidabantur, ob deſperationem alicubi cõeuntibus prælium accenderetur, præcones per urbem dimiſit, poni arma, & parci inermi iuſſit, nec præter armatos quenquam uiolari; tum etiam quibus animi in ſpe ultima obſtinati ad decertandum fuerant, poſtquam data ſpes uitæ eſt, iactare paſſim arma, inermesq; quod tutius fortuna fecerat, ſe hoſti offerre. Hoc idem multi deinde Duces Camilli exemplo diuerſis in locis fecere.

Xenoph. Pæſ
diæ. lib. iij.

Liu. lib. vi.

IO Sunt qui ex dupliciter falſis ac ſubornatis ad ſeiſos transfugis utilitatem capiant, eo pacto ſuis perſuadentes quod alia ratione perſuaderi non poteſt. Clearchus Græcorum Dux poſt Cyri mortem, Græcis ipſis regionem magnam, & bonam obtinentibus, quam fluuius circumdabat, minimo Iſthmo prohibitam ne in ſula eſſet, ue-

Xenoph.
Polyen. lib. ij.

E

tans ne intus castrametarentur, cum prohibere non posset, fictum transfugam misit nunciantem. Rex muro circumdaturum se Isthmum minatur: hoc audito Graeci morem Clearcho gerentes extra Isthmum castra ponunt.

Accidere potest conditio temporis, ob quam hostium etiam ueros transfugas recipere non expediat: ueluti cum Corcyra à Mnasiippo Atheniensi obsessa ex Corcyrensisibus, eò quòd uehementer urgerentur, & rerum penuria laborarent, adeo multi transfugiebant, ut Mnasiippus per praëconem denuntiauerit se illum hastæ subiecturum, si quis amplius transfugisset: sed cum nihilominus transfugerent, tandem flagris cæsos dimisit.

Qui ex nostris ad hostes transfugerant, si sponte sua **I I** mutato consilio reuertantur, sint ne ut ciues recipiendi, an uero transfugarum loco habendi, dubitari potest: sed non desunt in utranq; partem exempla. Constantinus Hermenopulus, qui iuris ciuilibus Epitomen confecit, libro sexto ait. Si quis transfuga in patriam recurrerit, si id semel duntaxat fecerit, ueniam consequitur: si secundo, in triennem seruitutem distrahitur, si tertio transfugerit, & deinde reuersus fuerit, in perpetuo duraturam seruitutem diuenditur: sed is unde hæc sibi sumpserit, mihi est incognitum, nec tanti uidetur esse, ut eius solius auctoritas satis in hac re ponderis habeat. Itaq; crediderim, absolute quidem loquendo pro transfugis eos esse

habendos, dicente etiam Paulo Iureconsulto, transfuga nullum postliminium esse, quoniam qui malo consilio, & proditoris animo patriam relinquit, hostium numero sit habendus. Plerumque tamen poterit eis poena uel remitti, si praesens aliquod emolumentum attulerint, uel etiam ad tempus differri, ne forte ardente bello alij à consilio ad nos transfugiendi, seu nobis se reconciliandi deterreantur: dicit enim Arrius Menander in l. non omnes ff. de re milit. Qui transfugit, & postea multos latrones apprehendit, & transfugas demonstrauit, posse ei parci diuus Adrianus rescripsit; ei tamen pollicenti ea nihil credi oportere. Sed Dorimachus Dux Aetolorum unum ex suis, qui ad hostes perfugerat, reuersum recepit, cum ostendisset ei uiam, qua Aegira ciuitas caperetur: quemadmodum ipso perfuga Duce capta fuit. Romanus uero aliter uisum, cum Classius Altinius Arpinus, qui prius ciuitatem suam Hannibali prodiderat, clam nocte ad Fabij filij Cos. castra ueniens, si sibi praemio foret, se Arpos proditurum esse promississet, eamque rem Cos. ad consilium retulisset, alij pro transfuga uerberandum, necandumque esse dicebant ut ancipitis animi infidum socium, uanum hostem: Consulis pater Fabius, ne in medio ardore belli deterrerentur eo exemplo, si qui ex rebellibus respiscere, et antiquam societatem respicere uellent, mediam consuluit uiam iniri, neque eum pro

Polyb. lib. 4.

E ij

socio, neq; pro hoste in praesentia habitum libera custodia
 haud procul à castris in aliqua fida ciuitate seruari
 per belli tempus; perpetrato bello, tum consultandum,
 utrum defectio prior merita magis esset poenam, quam
 Polyen. lib. vi. ille reditus ueniam. Leucon in bello contra Heracleotas,
 animaduertens aliquos ex trierarchis proditionem moliri,
 & transitionem ad hostes parare, comprehendi eos
 iussit, & ad se inquit parum honestos sermones de ip-
 sis deferri, uerum se fidem ijs non habere: ne igitur, si
 fortuna, & casus uictoriam hostibus dedisset, ipsi in sus-
 spitionem criminis uenirent, eos quiescere iussit, aliosq;
 trierarchos in eorum locum suffecit; familiaribus autem
 suspectorum magistratus, uicorumq; principatus commis-
 sit, quasi amico erga eos animo affectus: cum uero bello
 finem imposuisset, iustum inquit esse, ut in suspectos in-
 quisitio fieret; ne sine ratione fidem illis non habuisse
 putaretur: qui cum in Curiam uenissent, unà cum fami-
 liaribus inclusos armata militum manu omnes ad unum
 Appian. bell. morte affici iussit. Cum Menodorus Sex. Pompeij liber-
 ciuil. lib. v. tus & classis Praefectus, insigni perfidiae exemplo, à
 Sexto ad Octauium primum, deinde iterum ad Pompe-
 ium, apud quem animo turbatus, quod classis praefecturam
 nondum sibi redditam doleret, & ob suspicionem, cum ijs
 solum, quas abduxerat, nauibus emitteretur, iterum ad
 Octauium interposito Mindio rediisset: Caesar salutem

illi ob inducias concedere respondit, & protinus clanculum custodiri iussit: triremium autem ductores ab illo transferens, quocunq; eis libuisset abire permisit.

12. Veris autem transfugis, qui nobis uel initio belli secum emolumentum adtulerint, uel procedente bello magno usui fuerint, pro meritis, dignitate, uel indigentia, iustam, ac debitam gratiam esse referendam non dubitabit, qui maiorum super his exempla considerauerit. Onesimus ille Macedo parta à Romanis uictoria in Senatum introductus, cum à se in Populi Rom. utilitatem gesta commemorasset, Senatus in formulam sociorum eum referri iussit, eiq; locum Lautia præberi; agri Tarentini, qui publicus P. R. esset, ducenta iugera dari, & ædes Tarenti emi. Demetrium uero Illyricum Theuca Regina deuicta Romani pluribus Illyrij ciuitatibus donauerunt. T. Claudium Sabinum S. P. Q. R. inter patritios conscripsit, permisitq; urbis quantam uoluit partem capere in ædificationem ædium, agriq; regionem ei addidit de publico inter Fidenas, & Piculiam, quam posset omnibus suis diuidere. Nec singulorum tantum, sed multorum etiam, quot quot fuerint, habendam esse rationem multis itidem docemur exemplis. Daorsæis enim omnibus ab S. P. Q. R. immunitas data, quod relicto Carauantio fratre Gentij Regis Illyrij cum armis ad Romanum exercitum transfissent. In ciuitatem quoq; Roma-

Liu. lib. xlv.

Liu.

E ij

nam accepti sunt, qui Veientium, Capenatum, & Faliscorum per bella cum ijs populis gesta transfugerant ad Romanos, agerq; ijs nouis ciuibus assignatus. Mille ducenti septuaginta duo equites misit Numidæ, Hispaniq; in Sicilia ex Pœnorum exercitu ad Marcellum Procos. transfugerunt; quorum quoniam forti, fideliq; opera in eo bello usi sunt sæpe Romani, ager Hispanis in Hispania, Numidis in Africa post bellum, uirtutis causa, latus

Val. Max. li. v. cap. i. datus est. Quæro Metellus cum urbem Centobricam in Hispania obsideret, & iam admota machina partem muri, quæ sola conuelli poterat, disiecturus esse uideretur, & Oppidani filios Rethogenis indigenæ, qui ad eum transferat, machinæ ictibus obieciissent, ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur, ab obsidione discessit.

Falsi Transfugæ comprehensi, quo sint pacto tractandi, abunde dictum esse uidetur, ubi de Proditoribus locuti sumus.

Ex nostris autem, qui ad hostes transeunt, siue ex ipsa fuga, ante quàm ad hostes peruenerint, retracti, siue postea recepti, quantum ex maiorum exemplis intelligere licet, omnes ut proditores, sunt morte mulcandi. Atq; unicuiq; etiam priuato licere eos interficere docet Mar-

cellus Iureconsultus inquiens. Transfugas, ubicunq; inuenti fuerint, quasi hostes interficere licet; & Macer, ditores.

qui dicit, Proditores, uel Transfugæ plerunq; capite puniuntur, & exauthorati torquentur; nam pro hoste, non pro milite habentur. Et ne quis dubitet an eadem scæuitia sit in multos quoq; simul animaduertendum, bello Punico secundo, Marcello, & Fabio Cos. in Samnitium oppidis ui expugnatis recepti perfugæ Romani CCCLXX Romam missi uirgis in comitio Cæsi omnes, ac de Saxo Tarpeio deiecti sunt. Eodem bello capta Leontinorum urbe uerberati, ac securi percussi transfugæ ibi reperti ad duo millia hominum; aliasq; alij, quot quot numero transfugæ recepti, omnes semper mortis pœna sunt affecti, uario tamen genere mortis: quod cum ex iam dictis patet, tum ex auctoritate Pauli Iureconsulti dicentis. Transfugas uiuos exuri, aut furca suspendi debere: & ex eo quòd deuicta Carthagine perfugæ omnes ibi recepti per P. Scipionem, nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in Crucem sublati sunt. Nec tamen hæc uarietas omnino ratione caret. Scipio enim grauiori, ac seruili supplicio Romanos tanquam à patria fugitiuos dicitur affectisse: Latinos uero tanquam perfidos socios securi percussit. Posterior autem Africanus, & L. Paulus in exterarum gentium transfugas aliter animaduertunt. Ille enim eos euerso Punico imperio in edendis populo spectaculis feris bestijs obiecit. Et L. Paulus, Perse

L. Si qui. ff. de
pœn.
Liu. lib. xxx.

Val. Max. li.
j. c. j.

Rege superato, eiusdem generis, & culpæ homines elephantis proterendos subtrahit; ut appareat eos acrius esse puniendos, qui arctiori fidei uinculo erant adstricti. Hæc autem, quæ dicta sunt, confectis bellis accidisse intelligenda sunt: nam ante belli exitum sæpe magis expedit eos non occidere, sed alio supplicio punire.

Val. Max. li. ij. c. ij.

Q. Fabius Maximus per tempus belli, omnium, qui ex præsidijs Romanorum ad Celtiberos hostes transfugerant, capti; erant, manus abscidit, ut trunca præ se brachia gestantes metum defectionis reliquis inijcerent. Hæc autem ita erant apud Romanos, quibus potior erat cæteris rebus disciplina militaris. Quid uero conueniat alijs Ducibus, qui ut nunc, tumultuario plerunq; ac mercenario milite quacunq; ex gente collecto bella gerunt, ex usu communi, & ex ijs, quæ de militari disciplina loquentes diximus, satis est manifestum.

Tanti autem antiqui faciebant, ne sui Transfugæ impuniti dimitterentur, ut eos semper ab omnibus pacis, & fœderis conditionibus, omni spe ueniæ sublata, exceptos esse uellent: id quod latius docuimus, ubi de faciendis fœderibus locuti sumus.

Liu. lib. xxx. & alibi sæpe.

Illud superfluum esse uideretur, si quis quæreret restituendi ne sint ijs à quibus aufugerunt, si repetantur, transfugæ: nam durante bello, & rebus adhuc ui-

gentibus non uidetur indulgendum esse hostibus, in eorum perniciem, qui nostram secuti sunt fidem, seu etiam fortunam; inclinante autem fortuna, & in ipsis fœderum passionibus necessitas magis quàm ratio negocia ducere solet. Non defuerunt tamen qui etiam necessitatem superauerint: sicut fecerunt Romani, cum Luitprandus Longobardorum Rex Transemundum Spoletinorum Ducem suum perfugam ab eis reuocaret; nam Gregorius Pontifex eius nominis tertius, & Stephanus Dux, qui populi Rom. nomine fore ipsum incolumem promiserant, obstare aiebant datam Transemundo fidem. Quamobrem indignatus Rex uastato agro urbem obsedit, diripuitq; oppida quædam agri Romani: omnia tamen Romani ipsi ferre, quàm datam uiolare fidem maluerunt: & rex tandem obsidione relicta Spoletum redijt.

Bibliotheca
rius. Blondus
lib. x. & Ful-
gos. lib. vi.
cap. vi.

FINIS.

gentibus non videtur indulgentiam esse habituram in eos
 tunc periculum, qui non tam securi sunt, sed
 etiam fortissimum, inclinatam autem fortis, et in ipis
 in fœderibus nullis, necessitas magis quam ratio
 negotia ducere solent. Non delectant tamen qui etiam
 necessitatem spectant, sed fecerunt Romanis
 cum I. Augustinus Longobardorum Rex, et tunc fecerunt
 dum Spolethorum Ducem suum postquam ab eis nec
 fecerunt Gregorium Pontifex eius nominis fore ipis
 ex Stephanus Duc, et populi Rom. nomine fore ipis
 sunt incolamem promiserunt, oblati nichil datum
 Transcundo inde. Quamobrem aliquantulum Rex has
 factis agro urben obsedit, diripiendosque quendam agris
 Romanorum tamen Romanis igitur forte, dum datus
 nolite solum inlatum, nec tandem obsidione relicta
 Et Spolethi, et tunc obsidione relicta

Bibliotheca
 v. s. d. n. s.
 v. s. d. n. s.
 v. s. d. n. s.
 v. s. d. n. s.
 v. s. d. n. s.

